



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1606. usque ad annum 1610

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1776**

**VD18 90118820**

§. 104. Statutum Synodale Archiepiscopi Coloniensis adversus quosdam  
abusus a Papa confirmatum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67222](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67222)

pro in Curia inhi-beret, ne ejusmodi The-  
 ses publici juris fierent, aut desuper  
 concertatio publica haberetur, quini-  
 mo Jurisprudentiæ Doctoribus injunge-  
 ret, ut ea die in suis Gymnasiis non  
 docerent. Re in deliberationem vo-  
 cata Parisiensis Curia Præsides, die de-  
 cima septima Decembris edictum pro-  
 mulgabant, vi cuius Critonus suam di-  
 sputationem, usque dum aliter decre-  
 tum fuerit, differre, jurisprudentiæ au-  
 tem Facultas deinceps hac in doctrina  
 cum Facultate Theologica consentire  
 jubebatur: postquam vero altera die  
 Critonus se secundam hanc thesin ex-  
 puncturum spondit, dummodo cete-  
 rarum disputationem habere permitte-  
 retur, repulsam tulit: Hæc inscio Rege  
 attentata fuere, quæ tamen Edmundo  
 Richero ansam, auctoritatemque tri-  
 buisse videntur librum suum *de potestate  
 Ecclesiastica & Politica* evulgandi, ex quo  
 tantæ in Galliis turbæ ac scandala ena-  
 ta sunt.

Sæc. XVII.  
 A. C. 1607.

§. CIV.

*Statutum Synodale Archiepiscopi Co-  
 loniensis adversus quosdam ab-  
 usus, a Papa confirmatum.*

Jam anno Christi millesimo sexcentesi-  
 mo quinto die undecima Septembris

*Concil. Germ.  
 tom. 4.*

S 2

Erne-

**Sæc. XVII.** Ernestus, Dux Bavarix, Archiepiscopus Colonienfis, ut corruptelas, que in Religioforum vestitione & Professione irreperant, tolleret, decretum copido salutare condidit, quod tamen primum hoc anno die sexta Junii summus Pontifex Apostolica Authoritate firmabat. Complectebatur autem hoc decretum sequentes has sanctiones. I. In die, quo assumitur sacer habitus, nullum instituatür convivium, nulla Superioribus offerantur dona, nulla exigantur ornamenta cellæ, vel cubiculi. II. Die professionis permittitur prandium, sed ita, ut pro singulis Religiosis non plus computetur, quam medius stotenus seu duodecim albi a parentibus numerandi. III. Non præferatur Virgini pueruli Jesuli statua, sed in summa eidem exponatur in Sacramento Sponsus Virginum. IV. Die professionis non adsint plures hospites, quam duodecim in convivio, absque profusione, pompa, Musica, saltu, nec ultra tertiam diei horam proferatur. V. Si plures sint Novitii vel Novitiæ, uno die professionem edant, ut tempus & sumptus redimantur. VI. Nulli Professo vel Professæ liceat testamentum condere, vel solenniores exequias ordinare, vel anniversarium fundare.